

.xxiii. OMELIA IN DOMINICA

.iii. IN QUADRAGESIMA .

Oportet nos fratres karissimi  
omni die dominico . ad ecclesias  
dei cum humilitate et silentio et sobrietate conuenire .  
Si enim infelices iudei tanta deuotione caelebrant  
sabbatum . ut in eo nulla opera terrena exerceant .  
quanto magis christiani in die dominico soli deo ua-  
care . et pro animarum suarum salute certatim debent  
ad aecclias eius concurrere . tanta ergo in eo debet  
esse obseruantia sicut quidam sapiens ait . ut preter  
orationes et misarum solemnia . et ea quę ad uescen-  
dum in illo die pertinent . nihil aliud in eo fiat .

[.ii.] Ueneranda est itaque dominica dies . quia in ea lucem  
deus in principio condidit . in ea manna de cęlo in  
heremo pluit . in ea redemptor humani generis  
sponte sua pro nostra salute a mortuis resurrexit . in ea  
spiritum sanctum super apostolos infudit . et multa alia quę e' nar-  
rari perlongum est . Scire etiam debet . quod conueni-  
ens<sup>i</sup> est cuilibet christiano dīe sabbati cum lumi-  
naribus ad aeccliam . [.iii.] Concurrendum est quoque ad ui-  
gīlias uespertinales uel ad matutinum officium . Concur-  
rendum est etiam cum oblationibus pro se suisque omnibus .  
ad missarum solemnia . et hoc quoque sciendum est .  
quod dum ad aeccliam conuenitur nulla causa dīci  
debet uel audiri . Nulla iurgia sunt habēnda .  
sed tantummodo deo uacandum est in caelebratione  
uidelicet sacrorum officiorum . et in exhibītione  
aelimosinarum . Et postea cum dei laudibus apud

/46v/ amicos et proximos et peregrinos spiritaliter epulan  
dum est . [T] Ammonendi sunt quoque fideles . ut hos  
pitalitatem frequenter diligent . et nulli hospitium  
prohibeant . Quia multi per hospitalitatis officium  
deo placuerunt . Dicente apostolo . per hanc enim placuerunt  
quidam deo . angelis in hospitio suscep̄tis . Et iterum .  
Hospitales inuicem sine murmuratione . et ipse dominus  
ad iudicium ueniens dicturus est . Hospes eram et su  
scep̄tis me . Ac si dixisset . Ideo uenite et habitá  
te in aeterna tabernacula . Sciant ergo quicumque  
ámant hospitalitatem . quod christum uere in hospitibus  
recipiunt . [T] Predicandum est etiam ut períurium fideles  
cáueant et ab hóc sumopere se abstíneant . scientes hoc  
grande scelus esse et in lege et in prophetis uel etiam  
in aeuangelio prohibitum . Audiuius autem quosdam  
párui péndere hoc scélus . et leuem quodámmodo  
periuriis poenitentię modum impónere . Qui uero  
nosse debent tales de periurio poenitentiam impó  
nere debére . qualem de adultério et de fornicá  
tione . De homicídio et de céteris criminalibus  
utiis imponere débent . Et si quis post perpetrá  
tum periúrium aut quódlibet criminale peccatum  
timens poenitentię durítiam ad confessionem  
uenire noluerit . ab aeccllesia poenitus repellendus  
est et ab omni communione et consortio fidelium .  
ut nullus cum eo cómedat neque bibat neque oret .  
neque in sua eum domo recípiat . Dicendum est  
eis iterum . ut a falso etiam testimonio sé abstíneant .

/47r/ Scientes et hoc grauissimum scelus esse et ab ipso domino .  
in monte sinai prohibitum . Dicente eodem domino .  
Non falsum testimonium dices . Salomon dicit . Fal-

sus testis non erit impúnitus . [T] Quicumque ergo falsum testimonium profert contra proximum suum .

Extinguetur lucerna eius in die ultimo . quia qui metu cuiúslibet potestatis ueritatem occultat . ira cundiam dei super se prouocat . Tunc enim magis timet hominem quam deum . Falsídicus testis tribus est personis obnoxius . primum deo . cuius presentiam contémnit . Deinde iudici . quem mentiéndo fallit<sup>ii</sup> . Si falsi testes separantur . mox mendaces inueniuntur . Vterque autem reus est et qui ueritatem occultat . et qui mendacium dicit . quia et ille prodesse non uult . Et iste nocére desiderat . E contrario autem beatus est cuius testimonium in conspectu domini probabile inuenítur .

[T] Quattuor síquidem modis iustitia in iudiciis subuer titur . Timore ; cupiditate ; Odio ; Amore ; Timore ; Dum metu potestatis alicuius ueritatem dicere uel iudicare quíslibet pauéscit . Cupiditate . Dum pre mio muneric alicuius corrúmpitur iudex . Odio ; dum cuiuslibet inimicitię causa . nocere álteri desiderat . Amore ; Dum amicos uel propinquos contra iustitiam defendit potentior . His quat tuor modis saepe aequitas iudicii subuértitur . et innocentia lēditur . Magis autem dolendi sunt qui ópprimunt pauperes . quam qui patiuntur iniúriam . Illi enim qui opprimuntur . temporalem /47v/ miseriam cito finiunt . Illi uero qui opprimunt eos per iniustitiam . aeternis flammis deputantur . Sciant ergo quicumque hoc scelus perpetrauerint . quod aut tali poenitentia necesse est purgari ut superius dictum est de periurio . Aut tali damnatione et excommunicatione damnari . sicut superius scriptum est .

Id est aut septem annis in arta erumna sint . aut  
ab aecclesia repulsi et ab omnium fidelium communione .  
deiecti . Dicente domino . quid prodest homini . si totum  
mundum lucretur . Animę uero suę detrimentum  
patiatur . Quippe cum aliis uideatur pius existere .  
sibimet autem crudelis existat . Festinare ergo de  
bemus fratres karissimi et emendare uitam nostram . quod an  
tea male fecimus defleamus . et ulterius peccare  
cessemus . Quia non requiret deus quales ab an  
tea fuimus sed quales circa finem nostrum assisteri  
mus . cum aliquid in uos boni esse uideritis<sup>iii</sup> . neglegen  
tiae uestrae uel culpae deputetis . Hoc igitur scien  
dum est . quod non initium boni operis quaeritur  
in christiano sed finis . quia de fine suo unusquisque  
iudicabitur . Sunt enim qui bene incipiunt et  
male finiunt conuersationem suam . sicut iudas  
primo apostolus et postea proditor<sup>iv</sup> domini et facti  
sui conscius . Laqueo se suspendit . Paulus ma  
le coepit . et bene finiuit . primo persecutor . postea  
predicator . Uirtus igitur boni operis est perseueren  
tia . Domino dicente . qui perseuerauerit usque in fi  
nem . Hic saluus erit . non igitur qui cooperit bonum  
/48r/ sed qui perseuerauerit in bono hic saluus erit . Tunc  
enim placet deo nostra conuersatio . quando bonum  
quod inchoamus perseueranti fine complebimus .  
Bonum ergo non coepisse . sed perfecisse uirtus est .  
Non inchoantibus enim premium promittitur . sed perseue  
rantibus datur . Ideo unusquisque instantissime bona  
quę coepit perficere contendat . ut perpetuam a domino  
mereatur mercedem accipere in caelestibus . Prestan  
te domino nostro iesu christo . qui cum patre et spiritu sancto uiuit

et regnat in secula seculorum . amen .

<sup>i</sup> conueniens] *corr. from* conueniendum est

<sup>ii</sup> fallit] *at this point a clause has been omitted from the Pembroke 25 text that appears in the other manuscripts:* postremo innocentis . quem falso testimonio ledit.

<sup>iii</sup> uideritis] *at this point a line has been omitted from the Pembroke 25 text due to eyeskip that appears in the other manuscripts:* non ad uestrum laudem sed ad dei putetis et malum cum uideritis.

<sup>iv</sup> proditor] *corr. from* proditur